

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XLI. De gaudis beatae virginis Marie.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Seraphim eam potenter assumentes, cum omnibus Angelis eam in medio chori venerabiliter deduxerunt. Hoc idem sæpius sibi datum est videre.

CAPUT XLI.

DE GAUDIIS BEATÆ VIRGINIS MARIE.

GLORIOSA Virgo Maria, dum vice quadam sibi appareret, rogabat ipsam quatenus sese instrueret quid ea die sibi honoris exhiberet. Cui beata Virgo Maria respondit : « Admone me gaudii quod habui, cum Filius Dei, tamquam sponsus procedens de corde Patris, in uterum meum venit, exultans ut gigas ad currendam viam. Secundo, gaudii quod habui, cum de virginali utero meo progrediens, factus est mihi filius dulcedinis atque gaudii : alii filii matribus suis dolorem inferunt et tristitiam ; Filius autem Dei, quia ipse dulcedo est, mihi matri suæ gaudium attulit, et factus est præsuavis. Tertio, gaudii quod habui in Magorum oblatione, ubi factus est mihi filius honoris, quia a sæculis nunquam aliqua mater in nativitate filii talibus est donis honorata. Quarto, gaudii quod habui, cum filium meum in templo obtuli : ibi factus est mihi filius munditiæ et sanctitatis ; quia sicut aliæ matres ex hoc purificantur, ita ego cum purificari non indigerem, purificatio illa mihi auxit sanctitatem. Quinto, in passione existit mihi filius tristitiæ, et doloris, et redemptionis. Sexto, in resurrectione factus est mihi filius lætitiæ et exultationis. Septimo, in ascensione factus est filius divinæ majestatis et regiæ dignitatis. »

Septem
præcipua
gaudia e
Filio suo
percepit
Virgo Mater.